Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Dialogorum sacrorum Libri Quatuor

Châteillon, Sébastien

Basileae, 1565

Renoualia

urn:nbn:de:bsz:31-102436

Visual Library

telligis. Cognoſce, & iterum tertioq́; cognoſce, antequam iudices. Nam De fol iuge brieue ſentence: Ad pœnitendum properat, citô qui iudicat.

RENOVALIA. Ioan. 10.

ARGVMENTVM.

Ieſus Iudęis Chriſtū Deiq́; filium ſe eſſe fatetur: ob eamq́; cauſam illi eum lapidare conantur.

Iudæi, Ieſus.

QVamdiu noſtros animos ſuſpenſos tenebis? Si tu es Chriſtus, dic nobis apertè. I. *Id dixi uobis, nec creditis. ea quæ patris mei nomine facio ſatis de me teſtantur. Sed uos non creditis, quia non eſtis ex ouibus meis: quemadmodum dixi uobis. Oues meæ uocem meam audiunt. ego eas cognoſco, ipſæ me ſequuntur, ego eis uitam largior ſempiternam. Non poſſunt unquam perire, neq; mihi eas quiſquam de manu eripuerit. Pater meus, qui mihi eas mandauit, maximus eſt omniū: nec eas poßit quiſquā de eius manu extorquere. Ego autem & pater unū ſumus.* IV. *O` audaciā: uidetis quàm nefaria uox? Agite, obruamus hominem lapidibus.* I. *Multa ego uobis præclara opera patre meo autore edidi: quod tandem eſt eorū, propter quod me lapidetis?* IVD. *Nullam bonā ob rem te lapidamus, ſed ob impia tua in Deum dicta: ſimul quòd homo cum ſis,*[a] *Deum te facis.*

a Atqui Deū, ſed filium ſe dixerat, ipſemet explanat

ſacis. I. *Eho an non ita ſcriptum extat in ueſtris literis: Ego uos deos appellaui? Si dij appellati ſunt illi ad quos Dei ſermo habitus eſt, quod ſcriptum*[b] *reſcindi non poteſt: me, quem pater conſecrauit, & in hunc terrarum orbem miſit, uos impium dicitis, ſi dixi me Dei eſſe filium? Si patre digna non præſto, mihi ne credite: ſin etiam;*[c] *ſi non mihi, at factis credite & tandem cognoſcite & patrem in me, & me in patre eſſe.* I. *Enimuerò iſta iam non ſunt ferenda: imijciamus ei manus, quid ſtamus? Papæ, ubi eſt? nuſquam eſt. ubi eſt? euanuit in auram, præſtigiator. at non ſemper euadet: tenebitur aliquando.*

non poteſt eſſe uerũ. Qui nec rbis nec fa s credunt, perſuade nõ poteſt.

SENTENTIA.

Quæ non intelligunt, damnât imperiti. Homicidia ſua religionis nomine prætexunt ſimulatores. Vera dicta habet mundus pro impijs.

THOMAS. Ioan. 11.

ARGVMENTVM.

Ieſus diſcipulos ſuos ſe comitari iubet euntem ad Lazarum in uitam reuocandum.

Ieſus, Diſcipuli, Thõmas.

A*Beamus iterum in Iudæam.* D. *Magiſter, modò te uolebant lapidare Iudæi, & eôdem redis?* I. *Diei horæ ſunt duodecim. Qui interdiu iter facit, non offendit: utitur enim communi hac luce. Qui autem noctu, offendit: caret enim*

lumine,